


DEO OPTIMO MAXIMO

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ
Orthodoxorum Medicorum Patrono,

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS
manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis
XXVI *Martii Anni* M. DCC. XXXIII.

M. CLAUDIO BRUNET,
Doctore Medico, Præſide. autore.

An Abſtemii Carnis-privium *faciliùs ferant?*

I.



CORPORIS mentíſque ſanitas concurrit rariùs; homo diſcordibus conſtat, partes ſorte inæquali pugnantes indeſinentèr, ſibimetipſis jugitèr adverſantur, altera alterius imperioſa eſſe geſtit, utráque de imperio dimicat. Corpus quotidiè magis magíſque ſuperfluentibus bonis impleri, voluptatibus diffluere ſaginatum continuò gaudet. Spiritus naturæ notitiam atque juſtitiæ leges navitèr conſectatur, horumce certaminum adjutrix victríxque Religio *Carnis-privium* inſtituit, quo ſpiritus corpori imperet. Ne credas tamèn indiſtinctam eſſe legem, plurimi ab hâc lege licèt inviti immunes ſunt; qui ardentiori regulæ ſtudio,

ſuas & acriùs aſpernantur infirmitates. At ut culpandi increpandíque ſunt parcus Dei cultor & infrequens de jejunio *quadrageſimali* ne quidèm cogitans, perindè ac ii qui ſe curant molliùs, aut cibos coctu difficiles reformidant *quadrageſimales*, inexpertéſque horrent, vel qui ſalubriora condimentis nociva reddunt : ſic monendi, qui ſuam negligunt valetudinem. Præjudicatas opiniones falſáſque impugnare, legitimas imò admittere ſapientis eſt. Medici ſit, ſingulos ab erroribus liberare, qui ſcientiam è Cœlo demiſſam, digito ſupremi opificis exaratam, ſacris codicibus tantoperè commendatam profitetur, apud eum cura Religionis defendendæ excubet.

I I.

BENE valentes juvant jejunium atque carnis abſtinentia identidem præſcripta. qui carne ſe ingurgitant, facilè plethorici evadunt. Plethoram maximè periculoſam eſſe cum ad ſummum perducitur monet Hippocrates : (*a*) hoc periculum averteret jejunium & tenuis victus, qualem adhibent *Carnis-privio* adſtricti. Parcus victus pleniorem corporis habitum minori negotio ſolvit quàm venæ-ſectio aut *Catharſis*, neque *confidentiæ* ad extremum ducendæ notat divinus ſenex, (*b*) ne vaſa nimiùm quàm par eſt exinanita ſuo elatere penitùs defraudentur. Hinc patet jejunii immunitates aliquandò eſſe neceſſarias, de quo Medici ſolummodò habentur judices ; (*c*) etſi rarò ab iis conſulantur, quibus jejunium foret utilius, utpotè qui hyeme ſæviente, in quâ tranſpirationis ſecretio minùs felicitèr cedit, Saliarem in modum epulantur Genio indulgentes, omni ferè exercitatione vacant, quò fit ut eorum vaſa humoribus cumulentur ; hi humores redundantes vere accedente in motum perciti, quamplurima conferunt incommoda, ſimplici humorum diminutione ſive *Cathæreſi* præcavenda. His adde quòd humores tenuiores ex cibis *quadrageſimalibus* proferuntur, craſſities à prægreſsâ ingluvie & immodico carnium uſu ſanguini inducta emendatur, corpus meabilius evadit, humores faciliori negotio difflantur, congeſtiones diſcutiuntur, colatoria priùs invia adeò reſerantur ut finiente *quadrageſimâ* ſudoribus diffluant præſertìm ii qui acria, ſalſamenta, aut frixa eſſe conſueverunt.

(a) *Aph.* 3. *Sect.* 1.

(b) *Eod. Aph.*

(c) *Mandement de M. le Cardinal de Noailles Archevêque de Paris, du* 3 *Mars* 1716.

I I I.

DUM carne abſtinetur, frumenta, olera, fruges, piſces, lacticinia, &c. in uſum vocantur ; hæc faciliùs digeri, copioſiùs nutrire conveniunt inter ſe Medici præſtantiores, niſi ea condimentis vitioſis improſperè miſceantur : ſæpè enim terrâ nata

in honorem adducere ausi tam scitè condiunt, ut ea reddant pernitiosa. Hæc friabilia nullo negotio pinsuntur ac moluntur, horum igitur digestioni promovendæ fibræ flexiliores potiùs quàm robustiores, lenis earumdem oscillatio, potiùs quàm summa vis ac ictus geminati requiruntur. Carnes autem fibratæ duriores, tenaciores validè contundantur oportet, ut cremoris atque chyli naturam adipisci valeant. Desideras ut frugum digestio prosperum sortiatur exitum? attendas ut fibris ventriculi mollities & quædam, ut ita dicam, agilitas concilientur; quod assequeris eas sufficientèr aquâ irrorando ac perluendo. Si victus in carnibus consistat, vino uti expedit, ut fibræ validè tripudiantes, carnosis partibus diffringendis non sint impares: neque dicas cibos *quadragesimales* debilius nutrimentum sufficere, qui defectus liberaliori haustu vini resarciendus venit. Frugibus duntaxàt vescentes, ut Agricolæ, carnariis validiores, valentioréſque vulgò deprehenduntur. Ex morbo convalescentes, aut diuturno confecti affectu, lacte, orizâ, hordeaceis, avenaceis & aliis id genus quàm carnium usu feliciùs reficiuntur.

I V.

VEGETABILIA sale acido vel nitroso, Animantia urinoso vel acri gaudere experientiâ discitum est. Ex regno vegetabili aut animali captare lubet alimenta? caveas ne acidum luxurietur, aut alkali plus æquo evehatur ac effloreſcat. utrique incommodo occurrit aquæ aut vini potus. Ut acida diluantur ac obtundantur, nec-non eorum spicula diffringantur, nihil magis præsentaneum aquosâ diætâ reperies. Urinoso sali deprimendo accommodatum præstò habetur vinum acidis refertum. Urinosi sales & acidi adeò sibimetipsis adversantur, ut invicèm permixti novam nanciscantur indolem, novúmque sal vulgò *salsum* nuncupatum effingunt, quod ab urinoso & acido longè distat, diversósque edit effectus. Dubitas acidis vinum scatere? perpendas varias ejus præparationes, analysim & experientiam; in aceto acida vel simplici sapore innotescunt; quodcúmque animal subitò enecatur, ubi primùm spiritus vini quemadmodùm solutio vitrioli in ejus venas injicitur, ejúsque sanguis coagulatus observatur. Vinum ergò fugiant vescentes frugibus, quæ acidis turgent, ne chylus acorem contrahat immodicum. Verùm Vino utantur carnarii, ut salia volatilia, quibus ditantur animantum partes deprimantur ac mitigentur, nec humores fervidiores ac prætermodùm excandescentes ex iis eliciantur.

V.

JEJUNIO adſtrictos aquam ſolummodò propinare, vino interdici nonnullis abſonum fortè videbitur: aqua vorax eſt, Abſtemii edaciores plerúmque obſervantur, econtrà vini potionem famem tollere aſſerit Hippocrates (*a*). Primum vinolentiæ pignus & monimentum, appetitus dejectio; vino dediti omnes faſtidiunt cibos, in ſolo vino ingurgitato eorum victum conſiſtere diceres; quaſi verò jejunii patientes, ciborum faſtidio ac ſatietate laborare tenerentur. Quin potiùs eorum appetentiam acuere juvat, ut in ſufficienti quantitate cibos *quadrageſimales*, etſi inſulſos ac minùs ſapidos adhibere queant. egregium cibi condimentum fames. omnes aliæ conditur æ exulent, præſertìm Merum quod famem infringere incuſatur. fateamur tamèn quod res eſt, divinus Senex non hìc verba facit de appetitu naturali, ſed de præternaturali, ſeu fame caninâ quæ à Græcis βούλιμος vocatur: hoc morbo tentati perindè ac alii graviter ægrotantes, *Carnis-privii* legibus ſeſe obligare nequeunt, ut potè qui ſatis ſuperque exercentur, vitámque duriorem aſperiorémque trahunt. utinam pro multò levioribus cauſis nunquàm ſolveretur jejunium. Ex Hippocratis monitu videtur obſervatu dignum, inter medicamenta numerandum eſſe vinum; non inficias itur vinum cor recreare, ſtomacho nonnunquàm conducere, ſudores, urinas ciere, omnes ſecretiones promovere, vires proſtratas erigere. reipſâ verum eſt, quod per metaphoram dixit Poëta, *condita verax aperit præcordia Liber*. Cardiaca verò, ſtomachica, diaphoretica, diuretica, aperientia, & alia id genus, parcâ manu & circumſpectè vel indiſcriminatìm & perperàm adhibita, multùm prodeſſe vel nocere compertum habetur; illis medicamentis conſueſcere, & continuò uti neminis unquàm mentem ſubiit. Idem ferè eſto de vini uſu judicium, numero medicamentorum non excerpatur. Suſpicaris fibras vietas & effœtas? utere alimentis ſale urinoſo præditis & vinum concedatur. Si ſuſpicio ſit fibras *Criſpaturis* vel rigiditate nimiâ donari, aut ſi alimenta acidis imbuta, qualia ſunt *quadrageſimalia*, adhibeantur, tunc temporis vini uſus denegetur.

(a) *Aph.* 21. *Sect.* 2.

Ergò Abſtemii Carnis-privium *faciliùs ferunt*.

Proponebat Pariſiis JOSEPHUS DE JUSSIEU, Lugdunæus, Baccalaureus Medicus, A.R.S.H. 1733. à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1733.